



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentariorvm, Ac Disputationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

Disp. XXXVII. De his quæ Christus in cruce pendens ante mortem, passus
& operatus est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

operiunt, vt sunt thorax, caligæ, & alia id genus, id non est improbable, neque etiam est credibile Christum huiusmodi genere vestium fuisse vsu. Secundo veto improbatu ille modus dicendi ex verbis Ioannis. *Et fecerunt quatuor partes vnicuique militi partem, & tunicam, &c.* & infra, *Non scindamus eam.* Quo verbo aperte indicatur, alias vestes fuisse scissas. Præterea, quia facta esset particio sine scissione, per partiales vestes, potuisset tunica alicui illarum partium annumerari, atque ita non fuisset necesse sortem mittere super eam. Et ideo Euthym. (quam alij recentiores sequuti sunt) probabilius existimat, illam partitionem factam esse scissis vestibus per futuras in quatuor partes, iuxta numerum militum, quos quatuor fuisse recte hinc deducit Augu. tract. 118. in Ioan. Et hanc sententiam docuit Cyril. cat. 13. ille vero existimat, Christum præter tunicam non habuisse nisi aliam vestem, quæ necessario diuidenda fuit, cum in sortes nõ fuerit missa. Euthym. vero vt minimum existimat fuisse duas præter tunicam, quia in plurali dicuntur vestimenta diuisa: quod tamen argumentum nõ est efficax. Quia (vt supra diximus quando est sermo de multis, interdum solet in numero multitudinis referri, quod circa vnum dumtaxat getum est. Atque ita de hoc numero vestium Christi nihil certi potest affirmari, quamuis de scissione vestium prædicta sententia probabilius videatur.

Cyrril. August.

Dubium.

Ioan. 19. Iul. 21. August. D. Thom. Marth. 27. Luc. 23. Marc. 15.

Ambros.

Theophyl.

Responsio. Sortitio super vestes Christi omnes facta.

Cyrril. Augustinu. Ambros. Chrysof. Athanas. Iul. 49.

Cyrril. Cyrril. Athanas.

Tertio circa sortitionem, dubitari solet, an sola tunica missa sit in sortem, vel etiam vestes alia. Ratio dubij est, quia Ioannes solus de tunica refert dixisse milites, *Non scindamus eam, sed sortiamur.* Et idem videtur colligi ex prophetia Dauid, *Super vestem meam miserunt sortem.* Et ita sentit Aug. & S. Tho. in Ioan. In contrarium vero est, quia reliqui Euangelistæ dicunt, *Diuidentes vestimenta, miserunt sortes,* & Marc. addit, *Mittentes sorte super eis, quis quid tolleret.* Et ita multi existimat facta diuisione vestium in quatuor partes, vt nullus conueniri posset, sorte definitum esse, quæ pars cuiq; obtingeret. Ita significat Ambr. Luc. 23. dicens. *Diuiduntur vestimenta: alij aliud sorte deserunt.* & Theophyl. Mar. 15. & hanc sententiam recentiores amplectuntur. Et videtur certe valde consentanea verbis Marci, quibus indicatur, quidquid vnusquisq; militum accepit, sorte tulisse. Et per se videtur hoc verisimile, scilicet ad vitandas contentiones, & rixas, ad sortes descendisse. Quia alias nullus esset sua parte contentus. Et hoc etiam est argumentum, eos in propriam vtilitatem vestes diuisisse. Nec repugnat hæc sententia Ioanni, aut prophetia, quia sensus illius est, solam vestem inconsutilem mansisse indiuisam, & tantum sorte alicui obtigisse: cæteras autem vestes diuisas fuisse: nõ excludit tamen, quin de illis postea iacta fuerit fors.

Vltimo loco supererat dicendum de mysteriis, quæ in hac diuisione & sortitione latuerunt: sed quoniam hoc ad institutum nostrum non pertinet, videantur de hac re S. Patres exponentes Euangelia, præsertim Cyril. Aug. Amb. Chry. & Atha. dicto ser. de pass. & cruce. Duplex vero mysterium frequentius notatur à Patribus. Primum est, per vestes Christi, Ecclesiam significari. Nã de iustis scriptum apud Isaiam est. *His omnibus tanquam ornamento vestieris.* Ecclesie autem amplitudo significata est in quatuor partibus vestimentorum, quæ quatuor orbis plagas significant. Per tunicam autem inconsutilem significata est vnitas Ecclesie, vt præter notatos Patres, notauit Cyrr. libr. de vnitate Ecclesie. Alterum est (quod obseruarunt Cyr. & Athan.) tunicam inconsutilem significasse carnem Christi, quam quatuor orbis partes imparibilibiter inter se partiti sunt. Cum quo mysterio recte quadrat, quod notauit Euth. vestem illam fuisse à B. Virgine contextam. Addit Ambr. aliam mysticam significationem quatuor Euangelistarum, sorte diuinæ gratiæ inter se gesta Christi diuidentium, quam eleganter persequitur,

Cur fuerit titulus super crucem Christi impostus.

IN narranda historia huius tituli omnes Euangelistæ conueniunt, sed in modo narrandi aliquatenus differre videntur. Primo enim Matt. post Christum crucifixum, & diuisa vestimenta, subdit, postquam esse causam super caput eius. Ioannes vero prius narrat tituli inscriptionem, postea vestium diuisionem. Sed hoc nihil adfert difficultatis. Quia (vt sæpe diximus) non oportet ordinem narrationis ordini rerum respondere: neq; Euangelistæ dū aliquid prius memorant, propterea affirmant factum esse prius. Incertum tamen hinc relinquatur, vtrum horum prius fuerit, nec mihi constat, an positus sit titulus super crucem, postquam in illa elatus in sublime Christus est, an vero prius: verisimile tamen est non fuisse positum, donec iam Christus fuit crucifixus. Vnde si affixus fuit cruci antequam à terra eleuaretur, probabile est tunc etiam fuisse titulum affixum, nam maiori difficultate, & labore postea affigeretur. Si autem Christus affixus est cruci iam erectæ & eleuatus in aera, credibilius est finita Christi crucifixione, statim affixum esse titulum. Vnde vtraq; ratio fit probabile, hunc actum antecessisse diuisionem vestium.

Titulus tituli Christi quando impostus.

Quod si ratio inquiratur, cur titulus causæ fuerit affixus cruci Christi potius, quam crucibus latronum. Responderi potest primo, fortasse etiam eorum crucibus habuisse titulos quia licet Euangelistæ non narrent, tamen non inde fit non habuisse, vt in simili supra diximus. Quod si ita est, ratio huius inscriptionis reddi poterit. Quia mos erat inscribendi causam supplicij. Nihilominus tamen Chryf. homil. 84. in Ioan. ex ijs quæ in inuentione crucis Christi acciderunt, probat latronibus non fuisse titulos superpositos. Atque hinc colligit, non sine speciali Dei ordinatione hoc factum esse: dicens. *Non parua in hoc dispensatio, sed hinc pendet. Cum enim postmodum defossus esset lignum crucis, nulla de eo cura suscepta, cum & fideles timerent, & alii vacarent, contigit vt diu passim perquireretur: & cum tres cruces inuenta essent, par est, & quia media erat, & propter titulum Domini crucem agnitam, nam latronum cruces titulum non habebant. Eandemq; sententiam eisdem pene verbis sequutus est Euthym. c. 67. in*

Dubium.

Responsio.

Latronum crucibus titulus non superpositus.

Mat. h. dicens. *Iuxta Diuinam omnino prouidentiam titulum super solam Christi crucem positum esse.* Et inferius etiam addit, inuentam Domini crucem: *A titulo positum fuisse cognitam.* Theoph. vero in Ioan. c. 19. ita hoc explicat, vt dicat, propterea diuina dispensatione factum esse, vt sola crux Christi titulum haberet, vt postea non ignoraretur, sed per hoc signum cognosci posset. Sed quod quid de re ipsa sit, ratio vero, quæ hos Patres mouit, nõ videtur multum vrgere. Primo quidem, quia iuxta historiã in Ecclesia magis receptam, & supra indicatã, in crucis inuentione non fuit cognita crux Dñi, ab alijsq; discreta ex titulo, sed speciali miraculo. Deinde, quia licet demus ex titulo fuisse cognitam, potuit hoc esse, nõ quia alia crucis titulus carent: sed quia diuersas admodum supplicij causas cõtinebant. Quod significat Ambr. orat. de obitu Theodosij dicens. *Tria paribula confusa reperit: Sed non potuit obliterari Christi triuiphus, & infra. Inuenit quia in medio paribulo prælatus titulus erat, Iesus Nazarenus Rex Iudeorum, & infra. Habeat ergo Helena, qua legat, vnde crucem Domini recognoscat.* Ergo licet aliæ crucis titulos haberet, ex varietate inscriptionum posset satis crux Christi cognosci. Quamuis autem hæc ratio nõ cogit, nihilominus illorum Patrum opinio per se probabilis est, & potest facile sustineri. Ea vero posita necesse est reddere speciale rationem, cur potius CHRISTI causa, quam aliorum inscripta sit. Et fortasse esse potuit, quia eius causa erat insignior, & illustrior. Nã licet fortasse huiusmodi titulus nõ omnibus foret

Euthym.

Theophyl.

Ambros.

leret

Ieret apponi: probabile tamen est in causis insigni- bus, hunc morem seruatu esse. Forte etiam propria, & specialis ratio mouit Pilatu, de qua statim dicam.

Secundo videntur discordare inter se Euangelista in describendo hoc titulo, qui causam supplicij Christi continebat. Mat. enim dicit scriptu esse. *Hic est Iesus Rex Iudaeorum.* Marc. tantu habet, *Rex Iudaeorum*, Luc. *Hic est Rex Iudaeorum.* Ioann. vero, *Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum.* Dicendum vero est nullo modo inter se pugnare, cum eandem rem contineant, quamuis diuersis verbis Ea tamen, quae Ioannes retulit, sunt reuera ipsamet, quae scripta fuerunt in titulo, vt nunc etiam conspicitur Romae in templo Sanctae crucis, continent autem illae quatuor voces, primo nomen proprium, (quod Lucas omisit, & per pronomen hic illud explicauit.) Quia vero multi eo nomine appellari poterant, subiunctum est cognomen ex patria sumptum: alia vero duo verba causam continent, quam eisdem verbis omnes Euangelista posuerunt. Verbum autem illud *hic est*, (quod Matth. & Lucas posuerunt) formaliter non erat in titulo. erat tamen virtute, & in sensu, quem ipsi explicarunt, potius quam formalia verba.

Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19. Titulus crucis Christi superpositus qui.

Dubium.

Sed hic rursus inquiri potest, cur Pilatus voluerit his verbis causam Christi describi. Non enim dixit: *Hic se regem finxit, aut fecit: sed simpliciter eum regem appellauit.* Et difficultatem auget, quod, cum Iudaei conquererentur de huiusmodi titulo, vellentque inscribi ipsum dixisse, *Rex sum Iudaeorum: ipse nihilominus in sententia persistit.* Hac de causa aliqui existimant Pilatum reuera cognouisse, Iesum esse verum Regem, sicut antea multis verbis significauerat Iudaeis dicens: *Ecce Rex vester, & rursus, Regem vestrum crucifixum?* Et huius sententiae videtur fauere Chryl. homil. 84. in Ioan. dum ait, Pilatum scripsisse hunc titulum, cum vt Iudaeos videret, tum vt Christum excusaret. Nam cum eum tanquam prauium tradidisset, & sententiam hanc latronum societate confirmari vellet, ne quis tam turpem mortis nos amittere, & tanquam malum, & perditum eum accusare posset, vt calumniantium os obstrueret. in Regem suum insurrexisse denuntiat, & namquam trophaeo cuiusdam literas insculpsit, clara voce, & victoriam, & regnum profutentes, quamuis non perfecte. Sic etiam Augustinus Psal. 56. dicit hunc titulum scriptum esse: *Ad exprobandam frontem Iudaeorum, quod a Rege suo manus non abstinerunt.* Et rursus postquam retulit querelam Iudaeorum apud Pilatum de hoc titulo. Respondit (inquit) *Ies. Pilatus. Quod scripsit, scripsit, quid suggeritis mihi falsitatem? ego non corrumpo veritatem.* Et ibi late explicat hoc mystericum praedictum esse in titulo, illius Psal. qui est huiusmodi. *In sinem ne corrumpas tituli inscriptionem.* Nam illud (inquit) *ne corrumpas tituli inscriptionem, non video, quomodo pertineat ad illum David.* Non enim aliquis titulus inscriptus erat ipsi David, quem corruperet Saul. Vnde inferius concludit. *Saul ergo, populus Iudaeorum erat, David Christus erat, titulus ibi, Rex Iudaeorum.* De quo infra iterum redibit sermo. Et confirmari hoc potest, quia Pilatus euidenter cognoscebat innocentiam Christi, quam aperte est professus, & alioqui ipsum audierat dicentem: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Intellexerat etiam quid vxor sua passa esset propter Christum, ergo non est mirum, quod sibi persuaserit Christum esse regem. Ceterum hoc est creditu difficile. Primo, quia vel Pilatus intellexit Christum iure, licet non facto, esse regem temporalem Iudaeorum: & hoc no, quia Christus illi dixit, *Regnum meum non est de hoc mundo*, neque habuit aliquod aliud fundamentu ad hoc credendu. Vel intellexit esse regem spirituale, & alterius rationis, & si hoc intellexisset, no dixisset esse regem Iudaeorum, sed toti mundi.

Chryostom. Ioan. 19.

August. Psal. 56.

Respons.

Dici ergo potest, Pilatum non intellexisse Christum esse Regem eo modo, quo nos credimus eum esse Regem, scilicet regem caeli, & terrae, & reuera

Fr. Suarez. tom. 2.

A supremum Dominum totius mundi: aut etiam Iudaeorum, haec enim, & similia, non possunt vilo sufficienti fundamento affirmari: tamen quia certo sciebat Christum esse innocentem, vt saepe confessus est, & ab ipso met audierat se Regem esse, non tamen huius mundi, non credidit ipsum mentiri: sed confuse intellexit: eum habere inter Iudaeos regiam dignitatem alterius rationis a regno temporali, pertinentem ad ritum Iudaei, sicut pontifices, & Prophetae habebant inter Iudaeos singularem excellentiam, & dignitatem. Itaque verisimile est intellexisse Christum, iuxta religionem Iudaeorum fuisse virum ab illorum Deo missum, eisque datum, vt in rebus ad religionem pertinentibus eos instrueret, & gubernaret. Et hoc sensu, aliove simili vocasse illum Regem Iudaeorum, atque ita non in Christi ignominiam, & accusationem, sed potius in excusationem, & honorem atque in Iudaeorum opprobrium, & indignationem, hunc titulu posuisse. Erat enim illis ipse sensus, propterea quod in procuranda morte innocentis, ei fuerant molestissimi. Et hoc modo explicata haec ratio est satis probabilis, quam ex contextu Euangelico acute deduxit noster Cardinalis Toletus cap. 18. & 19. in Ioanne. Alio vero modo potest haec ratio explicari, Pilatum posuisse hunc titulum ex humano timore. Nam quia Iudaei illi comminati fuerant, *Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris: voluit quasi testimonio publico ostendere, & satis facere Caesari, quod regnum eius diligenter defendisset. Voluit etiam omnibus satisfacere, cur ad mortem damnasset hominem, quem innocentem iudicauerat, scilicet quia accusatus esset, quod regnum affectasset, aut quod Regis Iudaeorum nome vsurpasset. Noluit autem scribere, *Se fecisse Regem Iudaeorum: sed simpliciter, Rex Iudaeorum, vel in odium ipsorum Iudaeorum, quibus hoc displicebat, vel quia nunquam ipsum audierat dicentem esse Regem Iudaeorum: sed Regem, qui testimonium perhiberet veritati, sed ipsos tantum Iudaeos audierat hoc illi obijcientes, & ideo noluit scribere, se fecisse, aut dixisse Regem Iudaeorum: sed simpliciter, & indefinite, Rex Iudaeorum.* Denique addit Cyril. Alex. libr. 12. in Ioan. cap. 31. & Aug. tract. 117. in Ioannem, diuina providentia factum esse, ad gloriam Christi, & Prophetiarum complementum, vt Pilatus etiam ignorans, quid faceret, regnu Christi Iudaeis reluctantibus, publice profiteretur. Vnde de hoc mystico intelligi fuisse scriptu in titulo Psal. 56. *Ne corrumpas tituli inscriptionem.* Quod ita explicuit etiam Nicolaus Papa. 1. Epist. ad Michael. Imperatorem. Vnde sumpsit Aug. occasionem dubitandi. *Si diuina providentia factum est, cur non potius Rex hominum, quam Rex Iudaeorum scriptum est?* Et respondet, intelligendos esse in illo titulo Iudaeos spirituales, id est, fideles, & iustos, qui filij Abrahae dicuntur ad Galat. 3. & ad Rom. 4. Quod quidem intelligendum est in mystico sensu, fortasse ab Spiritu Sancto intetro. Nam ad litteram Pilatus solu intellexit de Iudaeis carnalibus, a quibus Christus accusatus erat, quod ipso rum regnum affectasset.*

Tituli crucis inscriptio talis a Pilato cur posita.

Tolet. Ioan. 19.

Tituli crucis inscriptio redundat in gloriam Christi.

Cyrl. August.

Psal. 56. Nic. papa. Augustin.

Galat. 3. Rom. 4.

Tituli crucis quoniam idiomate inscriptus.

Augustin. Euthym.

E Tertio narrat Lucas, & Ioannes, hunc titulum scriptum esse Hebraice, Graece, & Latine, quod tamen reliqui Euangelista non expresserunt: nec tamen negarunt. Intelligendum autem est, titulu non semel tantu partim Hebraice, partim Graece, partim Latine: sed ter potius in praedictis idiomatibus fuisse integre descriptum. Ita enim omnes expositores docent, & ex ipso titulo (qui Romae asseruatur) clare constat. Ratio etiam id persuadet. Vt enim notarunt Aug. tract. 117. in Ioan. Euthym. cap. 68. in Matth. scripsit Pilatus titulum illis tribus linguis, vt ab omnibus gentibus, & nationibus, quae ad diem festum Ierosolymam veniebant, legi posset. Erant enim illae linguae praecipuae, & frequentiores in orbe: Hebraea propter antiquitatem, & quia illius regionis erat propria: Graeca propter sapientiam, & eloquentiam

Hb s Graeco

Tituli crucis mystica significatio.

Dan 7.

Psal. 71. Philip. 2.

Cyrl. Nic. Papa Theophyl.

Græcorum: Latina propter Romanorum potentia & gloriam; ergo ad hunc finem necessarium fuit, vt in vnaquaque harum linguarum integre scriberetur. In quo etiam significatum fuit Christi regnum per vniuersum terrarum orbem propagatum iri, & omnes gentes, ac lingnas Christi obsequio fuisse m&acipandas, iuxta illud Daniel. 7. Dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, & scribas, & lingua ipsi seruiens: & illud Psalm. 71. Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruiens ei. Et ad Philip. 2. Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Ita Cyril. Alexand. libr. 12. in Ioan. c. 30. significauit Nicolaus Papa loco citato. Addit Theophyl. Luc. 23. Hoc licet, non è mente scribensis, simbolum fuisse, quod potensissimi genitum, quales Romani, & sapientissimi, quales Græci, & religiosissimi, quales Hebræi regno Christi subiicendi essent. Et super Ioannem capit. 19. inquit, his linguis significatum esse, Dominum regem esse Philosophia practica, naturalis, & theologica, quod fufius prosequitur.

SECTIO III.

Quando, & quomodo vinum, & acetum felle mixtum fuerint Christo ad bibendum data.

Ratio difficultatis est, quia Matth. & Marcus ante crucifixionem narrant datum esse Christo vinum ad bibendum, ita enim legitur in vulgata Latina. Nam iuxta Græcam Matt. non dicit, vinum, sed, acetum, & ita legunt Græci, Origenes, Chrysostomus, Theophyl. Euthymius. Et præterea inter se differunt, Nam Matthæus dicit illud esse Vinum felle permixtum, Marcus autem dicit fuisse, Myrrhatum vinum, Matth. quoque ait, Gustasse illud, non tamen bibisse, Marcus vero simpliciter negat accepisse. Post crucifixionem vero iidem narrant, datum esse Christo acetum ad bibendum in sponsia. Luc. vero, & Ioannes prætermisso priorij potu vini, tantum acetum meminere. Ioannes autem in eo enarrando differt à prioribus Euangelistis, cum dicat acetum datum esse Christo occasione illius verbi, Siritio, quod in cruce protulit: alij vero dicunt propinatum illi esse acetum, statim ac dixit, Eli, Eli, &c.

Lyr.

Ante crucifixionem potus Christo datus.

Primo igitur omnium certum est, bis vt minimũ fuisse Christo potum in passione datum: Id enim expresse habetur ex Marco, & Matth. Vnde mirum est in hoc Lyranum super Matth. hallucinatum fuisse.

Secundo certum est, prius quam CHRISTVS Crucem ascenderet, illi fuisse propinatum vinum ad bibendum, statim ac in montem Caluarie peruenit, paulo antea quam crucifigeretur. Ita enim Matth. & Marcus significant, & credibile est, fuisse illius gentis consuetudinem, quando aliquis esset capite plerctendus, præsertim in Cruce, quod erat acerbissimum supplicium, vinum deferrent, quo possent hominem confortare, ne deficeret.

Hieronym. Beda. Anselm. Augustin. Euseb. ym.

Difficultas vero est, an hic potus datus sit Christo semel tantum ante crucifixionem, vel etiam bis, atque adeo, an Matthæus, & Marcus de eodem potu loquantur. Communis sententia affirmat, fuisse eundem potum, qui reuera fuit vinum, vt Marcus ait, & in Matthæo, (vel ita est eligendum) vt etiam aliquot Græci codices habent, vel si legatur acetum, ita dictum est, quia erat vinum acidum, iamque acetum saporem referebat. Illud autem fuit myrrha conditum (vt Matthæus dicit) dicitur autem à Marco cum felle mixtum, quia vel simul fel habebat, vel per metaphoram, quia amarissimum erat, dictum est felle mixtum. Hoc autem vinum Christus non accepit, vt Marcus dixit. Quia licet illud degustauerit (vt Matt. refert) non tamen bibit, neque in stomachum traiecit. Ità fere hoc explicant, & Euangelistæ conciliant Hieronymus, Beda, Anselmus, & Augustinus libro tertio de consensu Euangelistarum capite vndeci-

mo. Alijs vero magis placet, Matthæum & Marcum de diuersis potibus esse loquutos. Quam sententiam indicat Euthymius cap. 67. in Matthæum, & Theophyl. phylactus in Marcum, vtramque sententiam probabilem relinquit. Hanc vero posteriorem opinionem constanter defendit Cæsar Baronius in annalibus, anno. 34. noua quadam ratione quam eleganter, & erudite persequitur. Dicit enim, vinum myrrhatum non fuisse vinum amarum (vt cæteri omnes scriptores communiter existimant) sed vinum optimũ quod in vasis myrrhinis admixtis varijs speciebus condebatur, vt saporem odoremque gratissimum imbiberet, & ad confortandum hominem maiorem vim haberet. Huiusmodi enim vinum in vsu, magnoque pretio fuisse apud antiquos, probat ex Plinio libro decimo quarto Historiarum capite duo decimo, & ex Marciali, veteribusque alijs apud quos myrrhina appellatur. Ex nominis ergo similitudine coniectat hic author, huiusmodi fuisse vinum myrrhatum, de quo Matth. loquitur. Vnde consequenter colligit illud nõ fuisse propinatum Christo ex odio: sed ex commiseratione alicuius, qui id attulerat, vt aliquod solatium Christo, vel etiam alijs damnatis ad mortem afferret. Quod, cum gustare non luisset, ab alijs (inquit) qui eum odio habebant, vinum felle mixtum ei propinatum est. Et huic sententiæ fauet, quod Lyranus in Matthæo. refert ex traditione Iudæorum, statutum esse à senioribus eorum, vt damnatis ad mortem vinum aromaticum daretur, propter illud Proverbior. vltimo. Date siceram merentibus, & vinum iis, qui amaro sunt animo. Hæc sententia non est improbabilis, præsertim si (vt Græca frequentius habent) Matthæus acetum scripsit. Non enim placet, vt acetum nomine vinum ad corruptionem tendens, explicemus: aliqui etiam posset eodem modo exponi aliud acetum, quod post crucifixionem ei datum est: & eodem modo posset explicari prophetia, vnde non posset constare verum, & proprium acetum Christo fuisse propinatum. Et eadem ratione non placet, vt apud Matth. nomine felle intelligamus amaritudinem myrrhæ. Nõ enim metaphoris vti necesse est, vbi proprietates potest retineri verborum. Si vero (vt probabilius est) Matth. non acetum, sed vinum, scripsit (in quo Græci codices sunt emendandi: facile enim potuerunt corrumpi, propter vocis similitudinem, vt Iansenius notauit) hoc (inquam) positum, facile defendi potest, illud vinum fuisse vnum & idem, dummodo myrrhatum, & felle mixtum censetur. Si cui verò placuerit fuisse diuersa, non repugnabit Euangelio, aduerfabitur tamen fere omnibus expofitoribus. Rursus an illud vinum myrrhatum fuerit, tam pretiosum (vt Baronius scribit) mihi incertum est, & difficile est creditu, tanta diligentia & cura in crucifixorum vsus fuisse conditum. Nam si dicamus hoc beneficium specialiter fuisse Christo collatum, propter specialem alicuius deuotionem: id non sit probabile, cum Psal. 68. de illo scriptum sit. Consolamem me quesuis, & non inueni, ac statim subdatur. Dederunt in escam meam silnam ij, qui eum amore prosequerantur, vel non audebant illi subuenire, vel præ nimio dolore vix poterant; vel certe intelligebant non fore hoc illi gratum. Si autem dicamus huiusmodi vinum solum esse dari hominibus damnatis ad mortem, etiam id difficile credi poterit, præsertim cum authores scribant illam præciosam myrrhinam in vasis myrrhinis, quæ sunt pretiosissima, & rarissima admixtis varijs, & pretiosis rebus, solere condiri. Facilius ergo credi poterit, in eo vino admixtum aliquid myrrhæ, non ex odio, sed ex consuetudine: neque ob delicias, & gustum, (fortasse enim amarum erat) sed quod esset efficacius ad confortandum hominem, & impediendum, ne vapores caput hominis occuparent, vt ibidẽ ex Aristotele. Baronius refert. Nam si hunc effectum efficere potest vas myrrhinum, eundem poterit præstare

Theophyl.

Cæs. Baron.

Vinum myrrhinum.

Quale vinum ante crucifixionem Christo datum.

Quale vinum ante crucifixionem Christo datum.

Psal. 68.

præstare myrrha vino immixta. Sed hæc sint satis de re incerta, concordia enim Euangelistarum satis ex dictis constat.

Dubium.

Quæri verò potest, cur Christus illud vinum non biberit? De vino felle mixto, ait Theophyl. fuisse mortiferum, & habuisse venenum admixtum, & quia Christus elegerat mortem crucis, & non aliam, noluisse accipere. Sed hoc non video, quo fundamento dictum sit. Hieronymus ad mysticos sensus recurrit. Ait enim gustasse: sed non bibisse, vt significaret, se mortem gustaturum, non tamen in ea permanfurum. Alij dicunt significasse, gustasse se peccati pœnam, non tamen bibisse culpam. Fortasse literalis ratio est, quia tunc non indigebat potu, & noluit bibere sine causâ. Vel certe noluit tunc extinguere sitim, vt vehementius eam in cruce pateretur. Tū quia hæc maior pœna erat, quam illa quæ esse poterat in vini amaritudine. Tum etiam, vt in cruce impleretur prophetia, quæ de fuiti Christi erat prædicta. Si autem vinum myrrhatum erat dulce, & pretiosum, illud nec gustare voluit, cum vinum felle permixtum saltem gustauerit, vt omnem consolationem omnino respueret. Denique ipse dixerat in cœna, non gustaturum vinum vsque ad mortem quod voluit obseruare.

Spongia aceto plena Christo in cruce pendente oblata. Matth. 27. Marci. 15. Ioann. 19. Cyril.

Tertio dicendum est, Christo iam crucifixo, & in cruce pendenti in spongia propinatum fuisse acetum. Hoc constat ex omnibus Euangelistis. Sed superest inter expositores controuersia, an Euangelistæ omnes de eodem potu loquantur. Et ratio dubij est. Quod Matth. & Marc. dicunt spongiam fuisse arundini, vel calamo impositam, Ioannes autem inquit: Illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes, obulerunt ori eius. Propter quod Cyrill. Alexandr. 12. libr. in Ioannem capit. 35. docet, diuersas fuisse has actiones. Alij (inquit) calamo, alij ligno hyssopi potum Iesu offerebant. Sed hæc dubitandi ratio non cogit ad hoc asserendum, nam si lignum hyssopi satis esse poterat ad sustinendam spongiam, non est difficile intelligere, ipsummet vocari potuisse arundinem, vel calamum, & ita sentiunt Theophylact. & Euthym. est tamen per se difficile creditu, lignum, seu culmum hyssopi fuisse aptum ad hoc munus, cū hyssopus herba sit humilis, & mollis, quæ non emitit longum, neque durum calamum, vt videlicet in Plinio libro 26. capite quarto, Dioscoride libro 3. capite 18. Vnde 3. Reg. 4. de Salomone dicitur, distulit super lignis, & a cadro, quæ est in libano, vsque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete, quasi diceret, quæ est minima herba. Quo circa hæc difficultas non tam est de concordia Euangelistarum, quam de intelligentia Ioannis, quomodo scilicet potuerit spongia hyssopo circumponi. Quidam igitur dicunt spongiam non fuisse impositam hyssopo: sed potius hyssopum mixtum aceto, & spongiam fuisse illoliquore, ex aceto, & hyssopo confecto, imbutam. Hanc interpretationem indicauit Theophylact. in Ioannem, & eam defendit Baronius loco citato quam dicit esse accommodatam textui Græco. Sed plane repugnat verbis Ioannis, cum aperte dicat, spongiam aceto plenam, hyssopo fuisse circumpositam, & non e contra acetum fuisse hyssopo conditum. Et textus Græcus eodem prorsus modo habet, quo Latinus vulgaris. Caietan. ergo respondet spongiam fuisse ligatam calamo, nexu herbe hyssopi. Sed, vt verba Ioannis melius accommodentur, intelligi potest, in summitate arundinis factum esse ex herba hyssopi, receptaculum quoddam, & veluti canistrum, in quo facile posset immitti, ac sustineri spongia. Atque hac ratione proprijsimè intelligitur, simul fuisse spongiam impositam & calamo & hyssopo. Qui modus fit etiam verisimilis ex eo, quod accommodatior erat, vt facie posset spongia poni in summitate calami, absque alio vinculo, & nexu.

Theophyl. Euthym. Hyssopus herba.

Plinius. Dioscori. 3. Reg. 4.

Theophyl. Baron.

Caiet.

Hyssopo spongia quo modo imposita.

Fr. Suarez tom. 4.

A Maiorem rationem dubitandi offert differentia supra tacta in enarratione Euangelistarum. Nam Ioannes dicit Christo sitienti, & propria voce sitim explicanti, datum esse hunc potum. Alij verò dicunt post verbum illud. *Eli, Eli,* &c. quendam ex ijs, qui astabant, per iocum, & irrisionem accepisse spongiam, vt ei potum daret. Propter quam varietatem videtur posse defendi sententia illa Cyrilli, sapius datum esse acetum Christo in cruce pendenti. Cui etiam fauet modus loquendi Lucae. *Ille debant ei milites, accedentes & acetum offerentes ei, dicentes, Si tu es Rex Iudeorum saluum te fac.* Sed tamen verior sententia est, de eadem re Euangelistas esse loquutos. Statim enim post illa verba. *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Christus protulit illud verbum, quod solus Ioannes scripsit, *sitis*, quod propriè & de siti corporali intelligendum est. Reuera enim sitiebat, & (vt Cyrillus supra notauit) naturale ei fuit vehementem sitim pati, quia ab hora cœnæ nihil biberat, & semper vigilauerat, multumque laborauerat, ac vehementi agonia, & tristitia sudorem, ac sanguinem emiserat. Denique cruci affixus fere totum sanguinem fuderat, ac pene exhaustus fuerat. Quæ omnia ex natura rei acerbam sitim excitare poterant, quam Christus explicare voluit (præter mysticos, & spirituales sensus) vt ostenderet se non solum exterius, sed etiam interius vehementer torqueri. Sciens etiam inde futurum fuisse, vt Scripturæ implerentur, dum Iudæi, vel milites mouerentur ad nouam pœnam, & iniuriam illi inferendam in Scripturis prædictam, quam ipse non recusabat, quamuis eorum actionem non intenderet. Occasione igitur illius verbi à Christo prolato, oblatum est illi acetum, quod Ioannes explicauit. Alij Euangelistæ, quamuis hoc prætermiserint, non tamen negarunt. Quod autem Lucas in plurali loquitur, intelligendum est, sicut supra diximus, per syllepsim, seu synecdochem. Nā quod sit à multitudine, quāuis per vnum fiat, solet dici factum esse à pluribus.

Dubium. Ioan. 16.

Cyri. Luc. 23.

Responsio. Sitis Christi de cruce pendens unde orta. Mat. 27. Ioann. 19.

Sed inquiri hic solet, quomodo tam facile potuerint ad manum haberi spongia, aliæque instrumenta necessaria ad dandum potum Christo iam in cruce acto. Responsio communis Caiet. Iansenij, & aliorum est, fuisse consuetudinem deferendi acetum quo potarent crucifixos, eorumque mortem accelerarent. At vero Cæsar Baronius supra contendit spongiam, acetum, & hyssopum adduci solita, vt cruciatus esset productior, & vehementior. Quia alia omnia apta erant ad sistendum sanguinem, siue acetum potaretur, siue vulneribus applicaretur, vt ex Plinio & alijs colligit. Sed ipse in eo discursu supponit acetum illud fuisse hyssopo conditum, quod nobis supra non placuit. Dicit tamen in præsentia potest, satis esse, quod vt cumque sit hyssopo admotum. Nam & per se habet ad hoc virtutem aliquam, & inde potest maiorem participare, sicut ex coniunctione etiam cum spongia ad eum effectum dicitur reddi efficacius. Aliud tamen videtur huic sententiæ obstare, quia verisimilius est voluisse milites, & Iudæos mortem crucifixorum accelerare potius, quam retardare, illos quidem, vt sese expedirent, neque cogentur ibi diutius adesse ad custodiam damnatorum: hos vero, quoniam secundum legem oportebat eadem die crucifixos è patibulo deponere. Quæ coniectura magis vrgebat in morte Christi, quia ex odio, & timore tumultus, vehementer optabant illum citissimè occidere. Tum etiam, quia erat dies festus. Sed hæc coniecturæ facile solui possunt. Quia milites non poterant immutare eam consuetudinem, si à iudicibus statuta erat, neque Romani Iudæorum legibus astringebantur. Quare cum hæc sententia principijs philosophicis sit magis consentanea, & Scripturæ, & Patribus non repugnet, præferenda videtur. Nam etiam Lyranus supra Mat. priorem sententiam rejicit. Etenim illa sine vllò

Dubium.

Cas Bar.

Acetum Christo in cruce eius datum.

Hh 3 fundat

Dubium.
 Psal. 68.
 August.
 Euthym.
 Matih. 27.
 Hieronym.
 Rufin.
 Tertullian.
 Responsio.
 Fel Christo
 in escam
 quomodo,
 vel quando
 datum.
 Tertullian.
 Lactan.

fundamento asserit, acetum potatum habere vim ad accelerandam mortem. Ultimo tandem circa hunc Christi cruciatum inquiri potest, cur, sicut ad expletionem prophetiæ propinatum fuit Christo acetum in potum, non etiam datum fuit in cibum. Vtrumque enim Psalm. 68. prædictum erat, *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.* Negari enim potest, quin utraque pars huius prophetiæ Christum respiciat, cum utraque ab Evangelistis de Christo explicata sit. Respondent quidam ex Aug. super Psalm. 68. illa verba, *Dederunt in escam meam fel*, per modum prouerbij esse intelligenda, id est, incredibili acerbitate dolorum me cruciarunt. Est enim phrasis hæc in Scriptura erita satis, ac peruulgaris. Quam expositionem indicant etiam Theodoret. & Basil. sic exponentes. *Ipsam cibum amarum mihi redderunt, quia cibus in dolore, & angustia sumptus, etiam si suauis sit, amarus redditur.* Hæc expositio mihi non probatur, quia non seruat Scripturæ proprietatem absque sufficienti causa. Alioqui etiam potum aceti possumus metaphorice interpretari. Cur enim vnâ partem potius quam aliam proprie intelligemus? Euthym. igitur partim super Psal. 68. partim super Matt. multa commentatur, vt explicet hoc esse ad literam impletum, & dicit fieri potuisse, vel, vt aliqui porregerint Christo fel ad manducandum, vel fragmenta fellis aridi probuccella panis, aceto, vinove diluta dedisse. Sed hæc, licet vera esse possint: tamen quia non colliguntur ex Euangelio, non videntur probanda. Nam iuxta hanc responsionem sequitur, saltem ex Euangelij non satis ostendi, illam prophetiam fuisse impletam. Quod videtur esse præterintentionem Marth. qui non sine causa fel nominauit, & expressit, vt communiter expositores ibi intelligunt, & Hierony. Psal. 68. & Ruinus in simbolo, & Tertul. li. contr. Iudæos, c. 10. Censet igitur, primam partem illius prophetiæ impletam esse, quando ante crucifixionem datum fuit Christo vinum felle permixtum. Quia etiam si fel datum sit in vino, vere dicitur datum esse in cibum. Non enim ita sunt intelligenda verba Psal. *dederunt in escam meam fel*, id est, in cibo meo miscuerunt fel: sed ipsam fel dederunt mihi in escam: hoc autem verissime, ac propriissime dicitur, etiam si id, quod datur in cibum, vino vel alteri liquori permixtum detur, vt sorberi potius possit, quam comedi, quod satis constat ex vulgari, & communi loquendi modo. Vere enim dicitur auis dari in escam, etiam si comminuta vel in ius redacta præbeatur. Et hæc est (vt existimo) intelligentia antiquorum Patrum, & propter hanc causam Tert. supra ita legit prædicta verba Psal. *Miserunt in potum meum*, l. Lact. vero lib. 4. c. 18. dicit illa verba Psal. impleta esse in cibo, & potu, quæ antequam Christum Iudæi crucifigerent, illi obtulerunt.

SECTIO IV.

Vtrum Christus verbis, quæ in cruce protulit, testamentum condiderit.

Hanc propono dubitationem, tum vt occasione nobis præbeat breuiter explicandi verba, quæ Christus in cruce loquutus est: tum etiam quod ad intelligenda nonnulla Scripturæ testimonia, fideiq; mysteria conducere potest. Est igitur in primis supponendum, testamentum proprie significare vltimam hominis voluntatem, qua de sua hæreditate disponit, vt constat ex communi vsu huius vocis. Quia vero hominis voluntas non sit nota hominibus nisi per aliquod signum, aut instrumentum ideo ipsum etiam instrumentum, quo voluntas, testatoris continetur, ac panditur, *testamentum* solet appellari, & utraque significatio ad Deum est in Scripturis translata. Voluit enim Deus homines esse participes hæreditatis suæ. Et hanc suam voluntatem

varijs modis contestatus est, vnde hæc voluntas Dei hominibus significata, *testamentum* dicitur. Tamen, quia hæc voluntas Dei manifestatur homini per modum promissionis non absoluta, sed conditionata, ideo testamentum Dei dicitur etiam *foedus*, & *pactum*. Vnde Aug. lib. 1. locutionum de Genesi, num. 94. *Amant* (inquit) *Scripturæ pro pacto ponere testamentum.* Et ideo vbi Exod. 24. legitur. *Hic est sanguis fœderis*, Paul. ad Heb. 9. citat. *Hic est sanguis testamenti*, & vbi Genes. 17. circumcisio dicitur *signum fœderis*. Ecles. quadragesimo quarto dicitur, *In carne eius fœderis fœdit testamentum*. Rursus quia cōditio, sub qua Deus suam hæreditatem promittit, est obseruatio mandatorum eius, ipsum etiam Dei præceptum, *testamentum* appellari solet, vt Iosue. 7. *Transgressus est testamentum meum, quod disposui ad eos*, vt ibi notauit August. lib. quæstionum in Iosue. Hinc deniq; distinguuntur duo testamenta in Scripturis, *vetus*, & *vetus*, vt constat Ierem. 31. ad Galat. 4. ad Hebr. 8. quæ distinguuntur tum in diuinis promissionibus, quæ in testamento veteri præcipue erant temporales: in nouo autem spirituales, & æternæ: iuxta illud: *Melioris testamenti mediator est, quod in melioribus re promissionibus sanctum est*, ad Heb. 8. Tum quia illud continebat præcepta externa, & carnalia: hoc autem interna, & spiritualia, iuxta illud. *Pactum feriam cum domo Israel. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum super scribam eam*, ad Heb. 8. Denique illud sacramenta habebat egea, & infirma, vnde iubebat, sed non iuuabat: hoc vero habet sacramenta efficacia gratiæ, quibus plurimum iuuat ad implendum, quod iubet, vt latissime tractat August. lib. toto de spiritu, & litera, præsertim c. 25. & lib. quæstionum in Exodum quæst. 166. & li. 3. contra duas Epist. Pelagian. cap. 4. Hinc denique ipsæ Scripturæ, in quibus hæc voluntas, & promissiones Dei continentur, *testamentum nouum*, & *vetus* dicuntur, tanquam instrumenta Dei voluntatem continentia, & significantia. Præcepta etiam ipsa vetera, & noua possunt dici *vetus*, & *nouum testamentum*, ac denique ipsa sacramenta, quæ etiam sunt signa, vel instrumenta pacti, promissionisq; diuine.

Secundo supponendum est, Christum Dominum testamentum condidisse non vetus & temporale: sed nouum, & æternum. Hoc in primis constat ex Paul. Hebræ. 7. dicente. *Melioris testamenti sponsor factus est Iesus.* Vocat autem *sponsor*, quia (vt dicebamus) diuinum testamentum per modum pacti, & promissionis sit, dando leges, & præcepta, & promittendo hæreditatem seruantibus ea, & ideo ca. 8. vocat Christum, *Mediatorem noui testamenti*. Quia Deus per Christum nouum testamentum condidit, & bona illius repromisit, quæ suo sanguine idem Christus nobis promeruit, & ideo sanguis eius dicitur, *Sanguis noui testamenti*. Marc. 14. Luca. 22. & 1. ad Corint. 11. & ad Heb. 13. dicitur, *Sanguis testamenti æterni*. Quia Christus testamentum quod condidit, suo sanguine ita confirmauit, vt in æternum duraturum sit, vel simpliciter, quantum ad bona, quæ promisit, vel vsque ad finem sæculi, quoad leges, & sacramenta, quæ stabiluit. Et hinc colligitur, Christum, ante mortem suam condidisse hoc testamentum, quia prior debet esse institutio testamenti, quam mors testatoris, testamentum enim morte confirmatur, vt Paulus docuit ad Hebr. 9. *Alioquin* (inquit) *nondum ualuit, quæ adhuc uiuit, qui testatus est.* Vbi de Christo Domino loquitur, supponit ergo Christum, dum uixit, testamentum condidisse, Loquimur autem de testamento, vt significat vltimam voluntatem verbis aut signis sufficienter expressam, siue sit scriptum, siue non, hoc enim nihil ad rem præsentem refert.

His ergo positis difficultas superest, an Christus Dominus in cruce posita, hoc testamentum condiderit, vel ante. Prima sententia esse potest, Christum in cruce testamentum condidisse. Primo, quia si verba

Testamentum Dei quod sit.
 Augustin.
 Exod. 24.
 Hebr. 9.
 Gen. 17.
 Ecl. 44.
 Iosue. 7.
 August.
 Testamentum nouum & vetus.
 Ierem. 31.
 Galat. 4.
 Hebr. 8.
 Ierem.
 Hebr. 8.
 Augustin.
 Testamentum nouum, & æternum.
 Christum condidit.
 Hebr. 7.
 Hebr. 8.
 Marc. 14.
 Luc. 22.
 1. Corint. 11.
 Hebr. 13.
 Hebr. 9.
 Hebr. 91.
 Prima sententia.

si verba Christi in cruce spectemus, inuenientis omnia, quae in prudenti testamento condendo obseruari solent. Primo enim solet is, qui testatur, animam suam Deo offerre, & commendare: hoc Christus in cruce praestitit. Secundo solet, qui testatur, si ab aliquibus passus est iniurias, eas in testamento remittere, quod etiam Christum in cruce fecisse legimus. Tertio, qui testatur, prouidere solet filiis, si eos habet, vel parentibus, si eius ope indigent, vel amicis: Christus autem in cruce, & matris curam habuit, & amici Ioannis, ac spiritualis filij: vnde Ambros. Epist. 82. in fin. *Testatur in cruce Christus, & inter matrem, a qua discipulum divedebat pietatis officium. Denique hereditatem promittit qui testatur, hanc Christus latroni pollicetur in cruce, & in persona eius, omnibus in se credentibus, ac vere poenitentibus. Secundo ibi concurrebant omnes circumstantiae ad condendum testamentum necessariae. Solet enim testamentum, quando necessitas, aut periculum prius non vrget, in fine vitae institui: Christo autem nullum imminere periculum, cum horam mortis suae praesciret, non ergo illi fuit necessarium testamentum condere ante vltimum vitae terminum. Fuit autem conueniens vsque ad illud tempus differre, tum vt ostenderet in sua voluntate, & consilio omnia momenta esse posita, tum etiam, vt se ostenderet liberum, suiq; iuris, etiam si clauis fixus, & in hostium potestate, quasi vincus, & captiuus esse videretur. Deinde, vt testamentum eius ita, ac esset absolutum, seu (vt ita dicam) immediate post morte confirmaretur. Tandem quia, vt testamentum sit validum, oportet vt solenne sit, & coram testibus fide dignis fiat, testamentum autem in cruce institutum, maximam solennitatem habuisse necesse est. Nam publice, & coram omni plebe fiebat, & in loco alto, ac voce publica, vt a nemine possit ignorari, & coram testibus fide dignissimis, Maria Virgine, Ioanne Euangelista, Magdalena, & aliis. Tertio tunc Christus condidit testamentum nouum, quando abrogauit prius. Quia (sicut Paulus ait ad Hebr. 8. *Dicens nouum, veterauit prius, quod autem antiquatur, & fenescit, prope interitum est, ita nos dicere possumus, instituendo nouum Testamentum abrogasse prius. Sed Christus in cruce pendens, dixit. Consummatum est.* Quo verbo significauit impletas fuisse omnes Prophetias, omnesque umbras, & figuras, & consequenter consummatum testamentum, quod in illis fundabatur, ergo illo verbo significauit Christum & nouum testamentum fuisse tunc plene conditum, & antiquum ablatum, vt explicuit D. Thom hic. q. 47. art. 2. ad 1.*

Secunda sententia esse potest, Christum Dominum non in cruce, sed in nocte cenae condidisse testamentum nouum. Haec videtur antiquorum Patrum sententia. Damasc. lib. 4. cap. 14. *Cum voluntarium (inquit) mortem nostrae causa suscepturus esset, ea nocte qua se ipsum tradebat, testamentum nouum sanctum suis discipulis, & Apostolis, ac per illos omnibus, qui in eum credunt, instituit.* Indicauit etiam Tertullianus lib. 4. contra Marc. c. 40. vbi de mysterio, quod Christus in cena perfecit sermonem habens, inquit: *Sic, & in calice mentione testamentum constituit, sanguine suo obsecratum.* Vbi alludit ad verba, quae Christus in cena protulit. *Hic est sanguis meus noui testamenti, illius scilicet, quod ipse tunc condebat.* Quod etiam significauit Chrysostr. homil. 83. in Matth. dicens. *Hoc ipsum testimonium nouum confirmat. Et quemadmodum vetus pecudes, & vitulos habebat, eodem modo nouum Dominum possit sanguinem.* Et idem sentit Ambros. 1. ad Corint. 11. Secundo hoc idem probatur ex verbis Christi Luc. 22. *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine vel (vt Matth. & Marc habent) Hic est sanguis noui testamenti.* Quo loco omnes expolitores Chrysostr. Theophyl. Euthym. Ansel. Ambro. aduertunt opposuisse Christum sanguinem suum sanguini hircorum,

& vitulorum, quo antiquum testamentum sanctum est, dicente Moys. Exod. 24. *Hic est sanguis testamenti, quem mandauit ad vos Deus.* Sicut ergo Moyses dicens illa verba obliuauit vetus testamentum, ita Christus dicens: *Hic est sanguis noui testamenti, nouum testamentum obliuauit:* Non potest autem testamentum obliuari, nisi etiam condatur, ergo ibi etiam conditum est nouum testamentum. Tertio ex his, quae gesta sunt in cena. Ibi enim Christus praecipua praecpta legis nouae discipulis tradidit, nimirum praecptum charitatis. *Hoc est praecptum meum, vt diligatis inuicem, & illud, Mandatum nouum do vobis, & praecptum noui sacrificij. Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus etiam verbis vsum praecipui sacramenti praecpti. Ibi etiam facta est promissio remissionis peccatorum, quae virtute continet promissionem gratiae, & gloriae, & non est facta vni, vel alteri: sed omnibus praesentibus, & absentibus. *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* In his autem quasi in primis quibusdam capitibus continetur nouum testamentum, in quo per se, & essentialiter tantum sunt praecpta fidei viuae, & sacramentorum, cum promissione aeternae hereditatis. Deinde hoc totum gestum est coram legitimis testibus, qui futuri erant principes Ecclesiae, & ministri noui testamenti, 2 ad Corint. 3. 2 Cor. 3. quod ministerium in eadem cena sunt consequuti. Nam illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem,* Luc. 22. ordinati sunt sacerdotes, & dispensatores mysteriorum Dei. ad Corint. 4. non debuerunt autem ministri testamenti ante ipsum testamentum iniciari, sed in ipso testamento solent institui. Denique tempus illud aptissimum erat ad testamentum condendum, quia tunc Christus valedixit discipulis suis, vt ad passionem, & mortem iret. Vnde oportuit, vt prius disponeret ea, quae ad nouum testamentum pertinebant.

Tertia sententia esse potest, Christum neq; in cena, neq; in cruce testamentum condidisse: Sed paulatim in discursu vitae suae, praesertim a baptisate, & praedicatione sua. Fundamentum est, quia condere testamentum nouum nihil aliud fuit, quam legem nouam ferre sub expressa promissione gratiae, remissionis peccatorum, ac regni caelorum, noua sacramenta, ac nouum ritum colendi Deum instituendo: Sed Christus non praestitit hoc in sola cena, & cruce, sed praedicto tempore. Nam statim a principio praedicationis cepit promittere regnum caelorum, eamque promissionem sapissimè in discursu praedicationis suae confirmauit. Deinde vel in Baptismo, vel pauld post sacramentum baptisimi instituit, qui est quasi fundamentum, seu initium nouae legis, & ianua, qua Christi hereditatem adimus. Rursus alia sacramenta discursu temporis instituit, nec de omnibus constat, quando sunt instituta, quamuis constet de aliquibus. Ad haec praecptum fidei de suo aduentu, ac de diuinitate sua, quae est vna ex praecipuis conditionibus noui testameti, multo ante cenam sufficienter praedicauit, ac promulgauit Christus Dominus: ergo non vno, vel alio definito actu ac tempore condidit hoc testamentum: sed successione temporis, ac diuersis actionibus. Ex hoc autem discursu (si rectè procedat) aperte colligitur, nouum testamentum non fuisse à Christo integre conditum ante mortem. Multa enim ex praecipuis, ac valde necessarijs, addita sunt post resurrectionem eius, nam eo tempore institutum est sacramentum poenitentiae, & praecptum confessionis latum: imo & praecptum baptisimi antea datum non erat. Monarchia etiam Ecclesiastica postea instituta est, & suprema potestas Petro delegata, antea enim solum erat promissa, haec autem omnia constitunt integre nouam legem, seu nouum testamentum.

Vt rem hanc exacte explicemus, duplici ratione Christi personam considerare possumus. Vno modo vt personam publicam, id est, vt caput, & auctorem, summumq; Ecclesiae Pontificem, ac legislatorem. Secundo, vt personam priuatam habentem pro-

Exod. 24.
Ioan. 13.
Luc. 22.
Matth. 16.
2 Cor. 3.
Luc. 22.
1 Cor. 4.

Ambros.

Heb. 8.

Ioan. 19.

D. Thom.

2. Sententia.

Damasc.

Tertul.

Chrysostr.

Ambros.

Luc. 22.

Matth. 26.

Marc. 14.

Chrysostr.

Theophyl.

Euthym.

Anselm.



riam aliquam, & specialem cognitionem. Sicut enim solet distingui duplex ratio in gratia Christi, scilicet capitis, & priuata personæ, ita nos hanc duplicem rationem in eius voluntate considerare possumus, & sub vtraque intelligi potest condere testamentum, & declarare vltimam voluntatem suam. Et nouum quidem testamentum proprie condidit vt caput, & Pontifex Ecclesiæ. Quia condidit illud vt legislator, & quatenus virtutem habet ad infundendam gratiam, & gloriam in coheredes suos. Vt priuata autem persona diceretur condere testamentum: si tantum vt homo ex bonis temporalibus, & humanis aliquid legasset.

Dico ergo primo, Christus Dominus vt caput, & Pontifex Ecclesiæ nullo modo instituit testamentum nouum in cruce pendens. Hæc conclusio probatur. Quia Christus in cruce nullum verbum protulit, quod ad hoc testamentum condendum pertineat. Quod breuiter ostenditur discurrendo per singula verba, quæ in cruce protulit, quæ septem ab Euangelistis referuntur.

Primum est illud, *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Quod retulit Lucas capite. 23. Quibus verbis ostenditur, in primis (vt Irenæus ait libro 3. contra Hæres. cap. 20.) longanimitas, patientia, misericordia, & bonitas Christi, dum etiam eos, qui ipsum occidebant excusat, pro eisque orat. Deinde (vt ait Cyprian. serm. de passione) ostendit se Christum in verbis illis Pontificem, ac mediatorem inter Deum, & homines. Quia (vt Paul. dicit ad Hebræos 5.) Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis, vt condolere possit ijs qui ignorant, & errant. Vnde Leo Pap. ser. 4. de passione, Passio (inquit) Christi salutis nostræ continet sacramenta, quam Dominus Iesus ita ad omnium susceptis salutem, vt inter clauos, quibus ligno tenebatur affixus, pro interfectis suis paterna clementia supplicaret, & diceret, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Paulus autem ad Hebræos 5. de Christo Pontifice loquens ait. Qui in diebus carnis sue preces, supplicationesque ad eum qui posuit illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Exauditus autem dicitur, ad ostendendam vim, & efficaciam illius orationis. Eo enim modo exaudita fuit oratio, quo Christus exaudiri voluit. Vnde licet, nõ omnibus crucifixoribus dimissum sit peccatum: nihilominus tamen oratio Christi suum effectum consequuta fuit, quia Christus (vt ait Theophyl. Luc. 23.) non absolute voluit omnibus dimitti: sed omnibus qui illius poenitentiam agerent. Vnde Hieronym. in illa verba Isai. 27. Idcirco super hoc dimitteret iniquitas domui Iacob. Propter hoc (inquit) id est, propter Christi orationem, auferetur peccatum eius, si voluerit agere poenitentiam, & merebitur benedictionem Dei, qui sibi maledictionem fuerat imprecatus, dicens: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Itaque ea ratione & veniam poenitentibus obtinuit, & auxilium sufficiens, quo poenitere possent. Adde etiam ex D. Thom. supra quæst. 21. artic. 4. ad 2. & Euthym. Luc. 23. illa oratione obtinuisse Christum efficacem auxilium ad peccati remissionem cum effectu consequendam: hoc tamen modo non esse factam pro omnibus, sed pro prædestinatis tantum: & hoc sensu videtur dixisse Leo Papa serm. 11. De eius orationis potentia fuisse, vt prædicatio Petri Apostoli ex ijs qui dixerunt, Sanguis eius super nos, & super filios nostros, multorum ad poenitentiam corda conuerteret, & vno die baptizarentur tria fere millia Iudeorum, fieretque cor vnum, & anima vna: paratorum iam pro eo mori, quem poposcerant crucifigi. Et ita etiam censent multi confessionem latronis, & centurionis, & eorum, qui reueriebantur percurientes pectora sua, huic Christi orationi esset adscribendam. Denique multi existimant, propter hanc Christi orationem, Iudeorum supplicium per quadraginta, & eo am-

plius annos dilatum esse, vt possent (si vellent) poenitentiam agere, sui que peccati remissionem consequi. Quod indicat Cyprian. supra, vbi copiose, & eleganter de huius orationis efficacia tractat. At vero in huius orationis verbis nihil est quod ad testamentum nouum condendum pertineat, quia licet Christus exemplum nobis dederit pro inimicis orandi: non tamen illis verbis aliquid præcepit, vel promisit, vel aliquem noui testamenti ritum instituit.

Secundum verbum Christi in cruce fuit ad latronem: *Hodie mecum eris in paradiso*, de quo multa in superioribus dicta sunt. Et hoc etiam fuit quidem verbum summi Pontificis, qui potestatem habebat excellentiæ ad remittenda peccata, & dandi gratiam, ac perseverantiam in illa, atque adeo promittendi regnum cælorum: sed neque hoc verbum aliqua ratione ad nouum testamentum condendum spectauit. Sicut etiam, cum dixit Magdalene. *Remittuntur tibi peccata tua*, ille fuit quidam actus potestatis excellentiæ, & remissionem peccatorum per eum præstitit: non tamen propterea ad institutionem noui testamenti pertinuit.

Tertium verbum Christi fuit ad matrem, *Mulier, ecce filius tuus*: Et ad Ioannem, *Ecce mater tua*. Quod quidem fuit verbum pietatis & charitatis, quo ostendit quanta cura & sollicitudine res matris curabat, quantumque dolori eius & orbitati compatietur. Fuit etiam (vt Augustin. dicit tract. 119. in Ioannem) exemplum, quo docuit, quomodo sint honorandi parentes. Per se autem constat illa verba nihil pertinuisse ad noui testamenti institutionem. Imo neque illis verbis explicuit Christus aliquem actum pertinentem ad ipsum, vt caput Ecclesiæ, seu vt personam publicam: sed fuit actus personæ priuatae, quæ curam gerebat matris suæ. Quamquam enim Cyrillus lib. 12. in Ioan. capite 34. reprehendat eos, qui dicunt Christum carnis coniunctione commotum fuisse, tamen non videtur negandum, quin propter specialem coniunctionem, quam secundum naturam humanam Christus habebat cum Virgine, specialem illius curam gesserit, vt Augustin. supra docuit. Chrysof. Theophyl. & Euthym. in Ioannem. Neque ipse Cyrillus hoc negare potuit. Nam statim subdit, illo actu, & re ipsa nos docuisse Christum honorandos esse parentes: ergo tunc Christus loquutus est ad Virginem vt ad parentem. Imo Chrysofom. ait, hoc factum obstruxisse Christum os Marcionis, Nam, si non esset genitus (inquit) secundum carnem, neque matrem habuisset, cuius gratia tantam circa eam solam habuisset providentiam? Vnde eleganter Cyprian. sermone de passione Domini. Considero te in cruce de matre sollicitum, cui volenti loqui tecum, cum euangelizares, negaueras retro actis diebus colloquium. Nunc materno moueris affectu, & thalamum humanitatis tuæ cubiculario dilecto commendas, & prouides sedulo benedicta inter mulieres Apostolicam clientelam, & obsequium virginis, virgini discipulo tradis. Sensus ergo Cyrilli est, Christum non fuisse commotum ex sensibili affectu, sed ex ratione distante matrem esse honorandam. Cur autem Christus communi nomine mulieris Virginem appellarit, dixi superius disputat. 1. huius tomi, sect. 1. Quam etiam ob causam, eam potius Ioanni, quam alteri commendauerit, alterius negotij est. Dicit autem potest breuiter, mortuum iam tunc fuisse Iosephum (vt in superioribus diximus) ex Apostolis vero solum Ioannem affuisse cruci, & sua constantia, & amoris significatione tantum honorem, tantumque beneficium meruisse: ad quod etiam plurimum conculit singularis eius puritas, & virginitas, & quod, (vt par est credere) singulari amore Virginem prosequeretur, & (quod caput est) quod eum Christus vnice diligebat. Neque vero desuere quidam, qui affirmarent, & scriptis proderent, tam efficacia fuisse illa Christi verba, vt proprii, ac Phyl-

Secunda Christi pendens in cruce vox. Luc. 23.

Luc. 7.

Tertia Christi de cruce pendens vox. Ioan. 19. August.

Cyrl.

Augustin. Theophyl. Euthym. Chrysof.

Cyprian.

Christus vt caput, & Pontifex Ecclesiæ nullo modo instituit in cruce testamentum.

Prima Christi in cruce pendens vox. Luc. 23. Iren. orat.

Cyprian.

Hebr. 5.

Leo Papa.

Hebr. 5.

Oratio Christi de cruce precantio exaudita quomodo.

Tertul.

Hieronym.

Luc. 23.

D. Thom.

Euthym.

Leo Papa

scum effectum effecerint, quem significabant, ita ut veras, & phisicas relationes matris, & filij, Virgini, Ioannique impreferret. Sed hoc fictitium est, & impossibile. Quia relationes non possunt imprimi sine fundamento. Illud tamen verisimile est, Christum illis verbis imprefisse Virgini, & Ioanni singularem quendam mutuum affectum maternum, ac filialem. Sed de hoc alias.

Matth. 27. Marc. 15.

Quarta, & quinta Christi pendens de cruce vox

Ioan. 19.

Sexta Christi pendens de cruce vox

Luc. 18.

Septima Christi pendens de cruce vox

Luc. 13.

Ioan. 15.

Sap. 3.

Deut. 31.

Obiectio.

Responsio.

Quartum verbum est, *Deus Deus meus*, ut quid dixerit? De cuius sensu nihil hoc loco dicam, quoniam, si lud satis tractavi in priori tom. disp. 33. sect. 1. & inferius disp. 38. sect. 2. iterum de illo sermo redibit. Certum ergo est, verbum hoc, cum nec promissionem, nec preceptum contineat, ad rationem testamenti nullo modo pertinere: sed solum fuisse quandam ostensionem grauissimi doloris, & afflictionis, qua Christus patiebatur in inferiori parte absque vlla solatio, quod in eam redundaret. Et eadem ratio est de quinto verbo, *sitio*, de quo in precedenti sectione multa diximus. Verum que enim fuit prolatum tantum ad explicandum dolorem animi, & corporis, ut veriusque veritas, & acerbitas poenae manifestaretur.

Sextum verbum, *Consummatum est*, nullam institutionem continet, nec promissionem, aut preceptum: sed solum sanctificationem Christi, quod iam prophetiae completae essent, que de passionibus praedictae erant. Ac si diceret, nihil aliud iam superest in mea passione implendum, sicut Luc. 18. dixerat, *Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia quae dicta sunt a Prophetis de filio hominis*. Hic est enim sensus literalis, illius verbi, quod Christus protulit, ut significaret mortem suam non casu accidere, sed eo tempore, ac modo, quo a Deo praordinata erat, & praedicta. Quod autem testamentum vetus consummaretur, id est, aboleretur, consequutum quidem est ex morte Christi, hoc tamen non est proprie illo verbo significatum. Quia nec verbum, *Consummatum est*, id proprie significat, nec tunc, quando Christus illud protulit testamentum vetus exoleuerat, sed paulo post in morte eius abrogatum est.

Septimum verbum fuit, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, Quod statim praese refert nihil continere sub sese, quod ad institutionem testamenti noui pertineat, neque prolatum esse a Christo, ut exerceret aliquod munus capitis, & Pontificis: sed solum ut ostenderet affectum, pietatem, ac reuerentiam, quam erga patrem habebat suum. Et aduenisse iam tempus, de quo ipse praedixerat Ioan. 15. *Exiui a patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem*. Et ut confutaret haereticorum blasphemiam, qui propter superiora verba, *Deus Deus meus*, &c. desperationem illi imponere ausuri erant. Nam in hoc verbo ostendit summam certitudinem, & securitatem quod suus spiritus esset sub tutela, & protectione Dei. Hoc enim proprie metaphorica illa locutio significat, iuxta illud Sapientiae 3. *Iustorum anima in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis: visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace, & Deuter. 33. Omnes sancti in manu illius sunt*. Adhuc etiam aliqui eo verbo indicasse Christum certitudinem suae resurrectionis. Nam verbum illud commendandi, iuxta proprietatem verbi Graeci, significat traditionem alicuius rei, veluti in depositum, ut seruetur, & post exiguum tempus restitua-

Ex his ergo omnibus satis constat, nullum in verbis Christi prolati in cruce, vestigiū fuisse institutionis testamenti noui, cum tamen de ratione testamenti sit, ut propriis, & claris verbis instituat. Dicit aliquis non verbo, sed facto ipso instituisse testamentum nouum, proprium sacrificium offerendo, quo testamentum illud confirmatum est. Sed hoc nullius momenti est, quia aliud est obfirmare testamentum, aliud condere, sicut etiam inter homines testamentum morte confirmatur, id est, stabile, &

A irreuocabile fit: non tamen in ipsa morte fit, sed factum supponitur. Adde (quod infra ostendemus) illud sacrificium crucis non fuisse sacrificiū proprium nouae legis, ut propter solum illud possit dici aliquo modo tunc esse testamentum nouum conditum.

De secundo, Christus Dominus ut caput, & princeps Ecclesiae praecipue condidit nouum testamentum in coena, quoad id quod in eo est praecipuum, quamuis aliqua, quae ad illius integritatem pertinet, aliis temporibus instituerit. Priorem partem huius assertionis probant, quae adduximus in secunda sententia, ut potest breuiter ita explicari. Quia tunc aliquis proprie dicitur instituire testamentum, quando aliquibus relinquit omnia bona sua, sed Christus in coena reliquit Ecclesiae suum corpus, & sanguinem, atque seipsum totum, in quo & omnes diuitiae eius, & omne bonum continetur: vbi non incommode applicari potest illud Zach. 9. *Quod est bonū eius, & quod pulchrum eius, nonne frumentum electorum, & vinum germenans virgines?* Deinde tunc etiam promisit Ecclesiae suum spiritum, & praecipua praeccepta tradidit (ut supra dicebamus) ac denique noui testamenti expressam mentionem fecit: ergo sine dubio tunc praecipue condidit testamentum, quod suo etiam sanguine tunc in cruce immolato sancit: postea vero in sacrificio cruento omnino stabiluit ac confirmauit. Posterior pars assertionis satis probatur ex iis, quae in tertia sententia adducta sunt. Nam cum testamentum nouum multa contineat, potuit pro ratione diuinæ Sapientiae temporibus opportunis quoad diuersa praeccepta, & sacramenta paulatim, & successiue perfici. Neque est inconueniens, testamentum hoc prius fuisse morte testatoris confirmatum, quam fuerit omni ex parte absolutum, quia hoc ipsum indicium fuit, testatorem non diu fuisse inter mortuos permaniturum, sed paulo post ad vitam rediturum, atque omnibus rebus suis vltimam manum impositurum, antequam in caelum ascenderet.

Dico tertio, Christus ut priuatus homo proprie testamentum non condidit. Quia nulla bona temporalia habuit, de quibus disponderet: si autem aliquid egit quod vmbrae testamenti haberet, illud potius in cruce, quam alibi factum reperitur. Hoc probant adducta in prima opinione, & nihil amplius. Atque haec de Christi passione sufficiant.

Christus, ut caput, & princeps Ecclesiae noui testamenti praecipue in vltima coena condidit. Zach. 9.

Christus ut priuatus homo testamentum proprie non condidit.

QVÆSTIO XLVII.

De causa efficiente Passionis Christi, in sex articulos diuisa.

D Einde considerandum est de causa efficiente passionis Christi. Et circa hoc queruntur sex. Primo, vtrum Christus fuerit ab alio occisus, vel à seipso. Secundo, ex quo motiuo seipsum passioni tradiderit. Tertio, vtrum Pater tradiderit eum ad patiendum. Quarto, vtrum fuerit conueniens, ut per manus Gentium pateretur, vel potius à Iudaeis. Quinto, vtrum occisores eius eum cognouerit. Sexto, de peccato eorum, qui Christum occiderunt.

ARTICVLVS I.

Vtrum Christus fuerit ab alio occisus, an à seipso.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod Christus non fuerit ab alio occisus, sed à seipso. Dicit enim ipse, Ioan. 10. *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam. Ille autem dicit aliquē occidere, qui animam eius tollit. Non est ergo Christus ab alio occisus, sed à seipso.*

255. Infr. q. 50. art. 1. ad 2. q. 51. art. 3. Cor. Et op. 3. ca. 337. 338.

2. Pra-